Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

In Scholis Medicorum, die Jovis 14. Novembris.

M. I. RENATO LE CONTE, Doctore Medico, Præſide.

An variolis malè erumpentibus pulvis viperinus?

VARIOLÆ formæ dedecus, puellis præſertim infenſæ & matribus deteſtatæ, qualibet anni tempeſtate graſſantur, vere potiſſimum & autumno, infantibus & pueris familiares magis quam adultis, nulli tamen ætati parcunt; exiguæ ſunt puſtulæ, extuberantes, faſtigiatæ, primum rubræ deinde pallidulæ & ſanioſæ. Deteriores ſunt plures paucioribus, majores minoribus, duræ mollioribus, intercures prominentibus, fuſcæ rubris & candidis. Non prius erumpunt quin omnes totius ferè corporis partes male afficiantur; cerebrum ſopor occupat, ſponte manant per genas lacrymæ, rubore vultus ſuffunditur, amareſcit lingua, ventriculus languet, recurrit nauſea, vomitus urget, tuſſis inanis quatit, difficilis crebraque fit reſpiratio, febris inceditur, artus denique omnes immeriti laſſitudine gravantur: hæc vel pauciora variolarum eruptioni anteveniunt & aſſident ſymptomata, quæ paulopoſt malaciſſantur & miteſcunt velut abſolutâ criſi, ſi modo laudabilis ea fuerit: hoc in morbo nihil tentandum, ubi nullam ſymptomata minantur perniciem, totum opus ſatagenti naturæ committendum, quam præſidia importunè oblata impedirent potius quam expedirent; Si tamen huic muneri impar illa ſit, ſi minus vegetæ ſint vires, metuſque oppreſſionis impendeat, tum ea proderit adhibere quæ ſanguinis, adinſtar muſti bullientis, ſuas velutiſordes ad ſuperficiem amandantis, vividos conatus poſſunt promovere.

UT ſuccos omnes è plantarum partibus expreſſos, ſic ſanguinem ſemel in vitâ ſpontè fermenteſcere, quaſdamque fæces ſecernere ac deponere neceſſe eſt: hinc fatum ineluctabile quod homines penè omnes variolis juſſit eſſe obnoxios, pauciſſimos ſinit eſſe tutos: contagioſus quippe morbus ille, hujus eſt indolis ut inexpertos inficiat facillime, quod fieri amat leviſſimo apparatu, per tetra ſcilicet effluvia ab ægrotantium ſanguine manantia. Ζυμώσεως hujus, ut nec aliarum quæ in corpore fiunt nuſquam ſolus incuſandus calor: Calidum & frigidum facultates ſunt omnium minimè potentes. Fermentationem illam inducunt plurimi non unius generis & genii ſucci quibus ſanguis turget, acidus nempè, auſterus, acerbus, amarus & ſimiles: amico durabilique nexu jungi nequeunt, quin ſuis mutuo viribus retuſis ſeſe invicem penitius ſubiverint; cum ritè temperati ſunt & permixti, tum nec conſpicui ſunt nec hominem lædunt: ubi verò ex illis unus ab aliis ſecretus fuerit, nec amplius mixtus per minima, tunc & conſpicuus eſt & hominem lædit; hunc ſolitarium ſuccum humoremve ab aliis ſecretum, eliminare ſatagit natura, mox per urinas vel per alvum, modo per vomitum vel per cæca cutis ſpiracula. ipſi hoc in niſu nullam præſtat opem prudens Medicus, cum eam certo ſcit fore facilè victricem; ubi dubium eſt certamen auxiliares mittit copias; hinc in variolis ægrè erumpentibus eligit præſidia quæ dictum fervorem, fæces ſanguinis ad cutim ablegantem, promovent, fermentique venenum, ſi quod ſit, extingunt: hujus ordinis ſunt diaphoretica, præſertimque viperatum pulvis.

INTER ſerpentes vipera nobilis quod vivos fœtus pariat ſuum habuit nomen. Fœminam in coïtu præ voluptatis dulcedine, maris caput abrodere, quemadmodum & naſcentes fœtus matris viſcera ſcindere, quaſi patris ulciſcerentur necem, mera fabula eſt. Plures ad menſes poteſt ſine cibo vitam protrahere, quem etiam oblatum, ubi ſemel capta eſt, ut plurimum reſpuit. Unoquoque anno bis venere utitur, quatuor aut quinque menſes uterum gerit, catulos edit viginti vel etiam plures, ſucceſſive uteri orificio exeuntes. horum ex umbilico dependet involucrum quod mater linguâ ſuâ paulatim divellit: Verno tempore quandoque etiam Autumno, veterem cutim, quam ſenectam dicunt, exuit, novaque prius latitans conſpicua fit, depoſitâ multò ſplendidior. Hyeme non ſubit terræ cavernas ut ſolent ſerpentes cæteri, ſed inter ſaxa in arboribus ipſis abſconditur. Nullâ ſui parte venenum eſt, imo tota toxicorum antidotus: vulnus dente inflictum etiam innocuum niſi furore concitata momorderit; carnes elixæ præcipuas relinqunt in jure vires, quas crudæ continebant. Trochiſci ex his veterum arte parati parum utiles, ſal quoque eorum induſtriâ confectum, exiguas habet vires, aut eas viperis non debet: elegantius nunc paratur pulvis ex truncis expoliatis, forficibus capite & caudâ præciſis, rejectis interaneis omnibus præter cor & hepar, quæ unà cum trunco primum aquâ ſimplici, dein albo vino pluries lavantur, linteo mundè terguntur, in umbrâ ſiccantur, tum demum in fruſtula ſcinduntur, teruntur in mortario & cribro trajiciuntur. Hic pulvis inſignes habet virtutes, venenis omnibus acidis obſiſtit, at præſertim ſanguini ſordes ſuas ad cutim ægrè propellenti ſubvenit.

MIRABILES viperarum vires à pluribus retrò ſæculis medici unâ voce confeſſi ſunt, eas corpus per cutim purgare, venenaque plurima vel intus ſpontè genita, vel foris immiſſa, profligare, experientia docuit. tot beneficiorum cauſa ante politiorem chymiam non adeo manifeſta: Hujus celeberrimæ artis miniſterio non parum illuſtratur Medicina, mixtorum principia oculis ipſis ſubjiciuntur, quod in uno quoque ſimplici medicamento utile eſt ab inutili vel noxio ſecernitur, proindeque unde nam ſuas hauriat vires, palam fit omnibus. Hac arte ſcilicet in viperâ rectè diſtillatâ reperiuntur terra, phlegma, ſpiritus, oleum, ſal duplex, fixum & volatile: terra ad medendum prorſus inutilis ut & phlegma; ſpiritus pars eſt ſalis volatilis phlegmatis portione diſſoluta; oleum illitum extrinſecus prodeſt pluribus in morbis, eòque magis quò minus ſale volatili deſtitutum eſt; ſal fixum pauciſſimum eſt, acre & mordax ut & ſalia ejuſdem generis; ſal volatile plurimum, omnium medicamentorum ſive naturâ ſive arte paratorum nobiliſſimum; inde inſignes ſurgunt tum carnis tum pulveris viperini vires: Spiritibus quibus abundat ſanguis analogum eſt, hos recreat, reficit, & niſum quo noxia quæque conantur amoliri, corroborat: intimas corporis partes ſubit celerrimum, luminis inſtar, occluſas venarum ſcatutigines, reſerat, cohærentes meatus, diducit, concretos humores momento diſſolvit, noxios que non ſolum per cutis ſpiracula, verum etiam per urinas, alvum, & cætera corporis emunctoria pro vario impellentis naturæ conatu eliminat; qui ipſius alas reſcindere contendunt & humi affigere, ne tenues in auras abeat, vel ne odore ſuo nares acrius feriat, diſperdunt ejus volatiles & ætherias vires: illud verò quovis acido ſpiritu deſtruitur, cum calce concreſcit in lapidem, nuſquam præſtantius & magis efficax quam cum ſolum.

DIFFICILIUS erumpentibus variolis viperinum pulverem exhibere ſemper & ubique tutum, laboranti naturæ ſuccurrit, cutim quandoque conſtrictam & duram laxat & emollit, veneni, ſi quod ſit, vires infringit, à quo principes corporis partes vindicat. Sale volatili puro & à cæteris viperæ principiis expedito hoc in affectu præſtantior, quod non vehementius quam par ſit ſanguinis ὄγκον extollat: hoc nempe in morbo cavendum ne ſanguis ebulliens nimium aſſurgat, vel ex congeſtis imprudenter ſtragulis, vel ex ambientis aëris nimio calore, vel ex medicamentis concitatiorem motum in ſanguinem inducentibus, quale foret viperinum ſal: ab his præſertim caveas ubi æger in æratis flore conſiſtit, vel ſanguinem habet fervidiorem, vel anni tempeſtas verna eſt, aut ultra æſtatem non producta: hinc ſcilicet ſordium eliminatio, quæ ſenſim certiſque gradibus promoveri debet, præcipiti nimium curſu ferretur; ſic enim fieret ut nonnullæ partes ad exilium damnarentur, quas natura nuſquam proſcriberet, niſi ultra debitos limites excurrere cogeretur: efferventem nimis ſanguinem ſive ſpontè ſive medicamentis intempeſtivè exhibitis, ſedabit venæ ſectio, ſemel iterumve vel pluries, ſi opus fuerit celebrata, tum ne vaſa diſrumpantur, tum ne æger ferocientis ſanguinis copiâ ſuffocetur: at dum errorem unum vitat medicus, cavene currat in contrarium, exhibens remedia quæ ſanguinem inſpiſſare, ejuſque ſalutares motus prorſus ſiſtere valeant; ibis quippe medio tutiſſimus, nec detrahendæ naturæ vires nec adaugendæ, ubi ſatis validæ ſunt, ſed ipſi difficilius ſordes ſecernenti mitioribus diaphoreticis, præſertimque pulvere viperino prudenter opitulandum.

Ergo variolis malè erumpentibus pulvis viperinus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus Sorand.
M. Iacobus Le Meneſtrel, Scholarum Profeſſor.
M. Nicolaus Rainſant.
M. Ioannes Groul.
M. Petrus Pourret, unici Regis fratris Medicus ordinarius.
M. Antonius de Caën.
M. Ioan. Bapt. Moreau, Profeſſor Regius, & Scholarum Cenſor.
M. Euſeb. Renaudot, ſereniſsimi Delphini primarius Medicus.
M. Iſaac Renaudot.

Proponebat Lutetiæ PETRVS BONNET, Pariſinus, A.R.S.H. 1675.